



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Articulus II. Quænam sint principia practicæ probabilitatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

indirecte, vel quasi reflexe. Directa probabilitas est fundata in ipsa natura objecti. v. g. probabile est, quod liceat artificiosè pingere die festo, quia probabile est, pecturam artificiosam non esse opus seruire. Probabilitas indirecta est, quæ petitur vel ex reflexione supra directam probabilitatem, ut quod sit sententia valde probabilis, licitum esse, sequi opinionem probabilem, vel ex aliqua

circumstantia extrinsecus adjecta: ut quod sibi licitum sit bellare; quia præsumi potest pro Principe, quod gerat iustum bellum: quod licitum sit hanc rem retinere, quia sit in possessione; quod liceat hunc actum exercere, eò quod dubia prohibitio non sit sufficienter promulgata & consequenter non obligatoria &c.

## ARTICULUS II.

## Quenam sint principia practicæ probabilitatis?

## SUMMARIUM.

1. Loci intrinsecæ probabilitatis.
2. Improbatur argumentum à pari.
3. Et inutile ostenditur.
4. Fundamenta docentium unius Doctoris auctoritatem sufficere ad probabilitatem.
5. Argumenta sententia opposita.
6. Limitationes, quibus adversarii suam sententiam restringunt.
7. Sufficit auctoritas unius Doctoris in materia nondum ventilata.
8. Item pro homine indocto.
9. Non pro omni casu, aut contra communem aliorum.
10. Solvuntur rationes opposita.
11. Penitentes possunt ordinariè acquiescere consilio Confessarii.

## §. I.

## Principia intrinsecæ probabilitatis.

Principia & locos, è quibus motiva probabilitatis practicæ petuntur, non difficulter reperies. Sunt, ut referunt Jo. à S. Th., Honoratus Fabri, aliique, in primis lex ejusdemque explicatio, & concordia circa legem. Consectudo, quæ non solum legis interpret, sed & pro lege reputatur. Possessio, quæ conditionem possidentis in dubio meliorem efficit. Necessitas, quæ non habet legem, & multa facit licita, quæ alioquin illicita fuissent. Effectus, damna, absurda, quæ ad aliquam operationem sequuntur, aut secutura prudenter timentur. Adde finem, naturam, proprietates, alicujus objecti.

Argumentum verò à pari, si absint cætera, tanquam inefficax & infidum Theologo [ut appellat Elparza in præf. Theolog.] nullo modo sufficiens existimo, ad practicam probabilitatem in morum materia conciliandam; quamquam enim ad exercenda ingenia in Scholasticis concertationibus sit idoneum, tamen [inquit profundissimus prædictus Theologus] plerumque est & inefficax ad persuadendum, & permolestum respondentis, præsertim glorioso, nempe ob defectum cognitionis rationum utrobique differentialium &c. Unde etiam videmus, Angelicum Doctorem, aliosque antiquos ad sua dogmata stabilendam argumento à pari rarissimè usos fuisse. Præsertim verò, quia paritates ad laxandam morum disciplinam facile viam aperire videntur; uti constare potest ex illa opinione in Theolog. fundam. à Caramuele disputativè proposita, & ab Alexandro VII. prohibita: quod unico officio possis satisfacere duplici præcepto pro die presentis & crastino. Quodnam

R. P. Mez. g. Theol. Schol. Tom. II.

enim expectas hujus egregiæ opinionis fundamentum? paritas est: possum uno jejunio satisfacere voto, Ecclesiæ, vel Confessarii præcepto; ergo etiam uno matutino possum satisfacere præsentis & sequentis diei præcepto &c.

Insuper inefficacia hujus argumentationis ex eo liquet, quod argumentum à pari non nititur connexionem aut repugnantiam subjecti & prædicati consequentis cum aliquo tertio, sed tantum prædicatum antecedentis transfert ad subjectum consequentis, eodem modo, quo positum fuerat in antecedenti propter solam similitudinem & uniformem comparationem subjectorum utriusque propositionis quoad illud prædicatum. Unde nec est ad efficaciam & vim concludentem paritatis, ut illi arguunt; superaddatur ratio ulterior efficacis communis antecedenti & consequenti, quæ reddet inutilem, certè minimè necessariam paritatem; quia perinde accommodari poterit, & cum eadem vi soli consequenti, relicto antecedenti. E. g. ut hæc paritas prober: *Agua est corruptibilis*: ergo & terra, oporteret accipere rationem & terminum utriusque communem: quia est æquè elementum: Cur ergo non dicis: *Omne elementum est corruptibile*: sed terra est elementum: ergo. Unde vides inutilitatem paritatis.

## §. II.

## An ad extrinsecam probabilitatem faciat auctoritas unius Doctoris?

Major est in extrinsecam & authenticam probabilitate statuenda difficultas. Sunt enim primò, qui cum Caramuele, utroque Sanch. Palao, to. 1. re. 1. disp. 2. p. 1. affirmant, unius Authoris moderni, gravis & docti placitum, etiam communi DD. opinioni contrarium, sufficere ad constituendam opinionem probabilem; ita, ut quis illam tuta conscientia sequi possit.

Probant primò. Quod asserunt plures, quàm 16. Authores, est probabile: sed unius Doctoris gravis & pii auctoritatem sufficere ad extrinsecam probabilitatem, docent plures, quàm 16. Authores, ut est videre apud citatos Authores: ergo.

Secundò. Sententia probabilis est, quæ non levi nititur fundamento: sed auctoritas unius viri docti & pii non est leve fundamentum, cum cuilibet sit in sua arte credendum: ergo.

Tertiò. Potest quis privato consilio ejusmodi Doctoris moveri ad agendum: ergo etiam potest sequi ipsius consilium typis vulgatum.

Quartò. Discipulus securè sequitur sententiam sui magistri, & subditus Superioris: ergo à fortiori

fortiori poterit aliquis se conformare sententiæ typis mandatæ, & ab aliis approbatæ.

Quintò, Ecclesia DEI adhuc quotidie illuminatur, & interdum revelatur minori, quod major nescit, ut dicit glossa in c. ad nostram de consuetudine. D. Bened. in Reg. c. 3. & colligitur ex c. si habes. 2. q. 3.

Sextò, Sic introductæ sunt apud Theologos plures sententiæ Antiquioribus incognitæ, cum D. Thomas, Durandus, Scotus, aliiq; similes cœperunt contra omnes opinari.

5. Sed in contrarium est primò constitutio Alexandri VII, qui hanc ipsam sententiam damnavit anno 1665. quòd, si liber sit alicujus junioris & moderni, debeat opinio censeri probabilis, dummodo non constet rejectam esse a Sede Apostolica.

Secundò, Proverb. 3. dicitur: *Ne innitaris prudentia tua, nec sis sapiens apud temeripsum,* quod tamen facit, qui sui capitis placitum omnium retrò antiquiorum doctrinæ anteponit.

Tertiò, Autoritas Vincent. Lirinens. in l. contra profanas vocum novitates: *Quisquis universitati communi DD. sensui contradicit, censeri debet vel animosè laborare inscitia, vel arroganti confidentiâ ingenii, vel malignâ decipiendi voluntate.*

Quartò, Plus velle sapere, quàm alii omnes, præsumptuosum est, & temerarium: sed qui tradit sententiam singularem contra alios omnes, vult plus sapere iis omnibus: ergo talis sententia potius præsumptuosa & temeraria, quàm probabilis censeri debet: præsertim cum præsumptio prudentiæ & sanæ doctrinæ semper stet pro antiquitate, sive autoritate DD. Sanctitate, doctrinâ, & experientia præstantium, juxta Spiritus sancti testimonium. Eccles. 8. *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in proverbis eorum conversare, ab ipsis enim discas sapientiam intelligentis &c. Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a Patribus suis &c.*

Quintò, Quia facile est, specie viri docti & pii alios decipere, & in animâ periculum inducere.

Sextò, Quia hujus sententiæ Authores ipsi inter se dissident, & variis limitationibus suæ opinionis dissidentiam manifestant.

6. Nam Caramuel in Theol. fundam. fundam. 7. requirit primò, ut ejusmodi Doctor non sit promotus in aliqua universitate, in qua obvii quicumque promoveri solent, & quæ de suis promotionis juxta commune adagium dicunt. Maneat ejus argentum apud nos, & asinus laureatus revertatur in patriam. Palao n. 4. addit secundò: Ut non constet ejusmodi sententiam ab Apostolica sede tanquam improbabilem esse rejectam. Sed quia istæ limitationes adhuc videntur nimis amplæ, limitat tertiò Laym. l. 1. r. 1. c. 5. Si ille Doctor non temerè, sed post dissolutas aliorum opiniones suam singularem sententiam proponat. Et ulterius quarta: ut illam opinionem ex instituto, non tantùm incidenter, & ex occasione v. g. in solutione alicujus argumenti tractaverit, quia, ut dicit Mascardus de prob., quæ dicuntur incidenter, fortè ad colorem, non verò ad probationem dicuntur. Quintò: ut calleat Theologiam moralem, quia notitia speculativæ Theologiæ

non est sufficiens argumentum de notitia moralium. Sextò: ut sententiam proponat jam maturâ consideratione, non præcipitanter, non studio novitatum; neque soleat receptis sententiis datâ operâ contraire, & principia ponere, quibus præceptiva potestas Ecclesiæ, & morum disciplina enervatur. Septimò: ut illa sententia à communi aliorum non reprobetur ut singularis & improbabilis. Octavò. Ne opposita sit receptis in praxi & communi Ecclesiæ consuetudine, quæ habet vim legis.

## §. III.

## Nostræ resolutiones.

Inter hæc DD. opiniones non videtur una & universalis regula posse statui. Unde Dico primò: quando communis aliorum Doctorum non est in contrarium, sive quando materia talis doctrinæ nondum fuit ventilata, aut in questionem deducta, potest unus vir doctus facere sententiam probabilem, si firma ratione movet intelligitur. Neque existimo, quòd hæc assertio habeat contradicentem, cum facente Joa. à S. Th. q. 18. disp. 12. a. 3. n. 33. plerumque in antiquis hoc modo opiniones probabiles ex rationibus & dictis SS. PP. ab uno, aut altero insigni Doctore deductæ & introductæ fuerint.

Dico secundò Ad formandam conscientiam prædicæ probabilem homini imperito vel indocto, qui non potest nec tenetur scire, quid hinc inde Doctores sentiant, sufficiat autoritas unius viri secundùm prudentem existimationem docti & pii. Necesse conclusio patitur difficultatem, Nam primò: Illa autoritas sufficit ad probabilitatem extrinsecam, quæ sufficit ad faciendam prudentem fidem humanam: Sed homini simpliciter & indocto ad faciendam prudentem fidem humanam sufficit autoritas viri, qui communi existimatione vel invincibili opinione consensus habetur doctus & pius: ergo. Minor probatur: quia in viro docto & pio, ex parte doctrinæ prædenter præsumitur veracitas in cognoscendo, quâ falli facile non possit, & ex parte probitatis veracitas in dicendo, quâ fallere non vellet: sed hoc est sufficiens motivum prudentis fidei: ergo. Secundò: Esset onus nimium grave, & communi fidelium praxi contrarium, si plura opiniones explorare, & quænam ex iis communes, quæ singulares forent, inquirere teneretur.

Dico tertiò. Unius Authoris sive Antiqui sive Recentioris singularis sententia contra communem aliorum, non facit universalius pro communi usu & praxi sufficientem probabilitatem, priusquam aliorum DD. in eadem materia expertorum judicio habeatur pro probabili, & censetur nisi gravibus ac firmis fundamentis. Ita Jo. à S. Th. d. loc. num. 33. & Ildefons. Calarog. disp. 208. dub. 1. n. 411. Ratio est: si sententia singularis est antiqua contra communem aliorum, hoc ipso est relicta & antiquata, nec proinde probabilis: si est sententia alicujus Recentioris, vel est fundata in autoritate & rationibus Antiquorum, vel non est. Si primum, jam non est simpliciter nova & singularis. Si secundum: ergo vel habet rationes & fundamenta gravia, vel non habet. Si non habet, hoc ipso est res temeraria.

ritatis, quod absque gravi fundamento à communi aliorum doctrina recedat, idque probant rationes pro secunda sententia adductæ: si habet, de illis legitime constare debet, quod non sint ex proprio scribentis iudicio [suum enim cuique pulchrum] sed ex aliorum in eo scribendi genere versatorum sententia. Atque ita conciliabis plerisque Authores circa hoc punctum sibi in speciem oppositos.

Neque obstant rationes pro prima sententia adductæ. Non prima: partim quia major est falsa: non enim Authorum numerus, præsertim cum non nisi ab aliis relata referunt, imò [ur Jo. à S. Th.] per se loquendo sola personæ Authoritas non facit probabilitatem practicam, nisi præsumptio sit fundata de iis, quod non leviter & superficialiter res serias tractant, sed cum fundamento & pondere, sive deinde sint plures, sive pauciores: partim quia licet plures Authores doceant, quod ad probabilitatem practicam sufficiat unius Doctoris autoritas, id tamen affirmant non sine limitationibus & distinctionibus præmissis.

Non secunda, quia Autoritas viri docti & pii absolute spectata non est leve fundamentum, concedo; comparata cum omni retrò antiquitate & universitate Doctorum, nego.

Non tertia & quarta: Quia Autoritas unius Doctoris respectu alicujus Personæ privatæ simplicis & indoctæ potest esse grave fundamentum; non tamen respectu totius communitatis, eorumque, qui sciunt aut scire possunt & debent, talem

sententiam esse singularem, & communi aliorum doctrinæ contrariam. Nec ad rem facit approbatio impressis Authoribus adjuncta; neque enim approbantium intentio regulariter esse solet, sententiis approbatis practicam probabilitatem asserere, vel conciliare: sed solummodo testari, nihil inibi Ecclesiæ constitutionibus, sanæ fidei, ac morum doctrinæ contrarium contineri.

Non quinta: Neque enim Ecclesia DEI illuminatur, sed potius obfuscatur novis doctrinis, quibus in nimiam vitæ licentiam conscientia laxantur: sed per deductionem aliarum, & aliarum conclusionum ex SS. PP. principiis communi Catholicorum consensu stabilitis: quo modo Angelicus Doctor suas omnes doctrinas tradidit & conscripsit.

Inferes ex dictis: Pœnitentes aut parochianos ordinariè non obligari, ut post acceptum à Confessario, vel parochio consilium, alios interrogent: siquidem prudenter possunt præsumere, ad hujusmodi officium non nisi doctos & idoneos à Superioribus deputari. Quod si de contrario constaret [uti etiam si dicas, Authorem aliquem impressum continere multas sententias damnatas & improbables, vel non fideliter citare & referre Authores] non satis tutò operarentur, si ejusmodi consilium, non requisito alterius viri pii & docti, classicæ Authoris consilio & placito, sequerentur: siquidem non adesset sufficiens persuasio de dicentis veritate, quæ ad prudentem credulitatem requiritur.

### ARTICULUS III.

#### An & quomodo ex opinione probabili possit formari

Conscientia certa?

#### SUMMARIUM.

1. Status questionis.
2. Primum fundamentum sententia negantis, quod in probabilitate desit certitudo de honestate actionis.
3. Impugnatur responsio.
4. Secundum fundamentum, quod probabilitas non possit esse regula honeste rationis.
5. Tertium, quod sit conjuncta cum vincibili ignorantia obligationis.
6. Formari posse rectam & certam conscientiam ex iudicio probabili, ostenditur ex Sancto Thoma.
7. Probat ex perpetua praxi.
8. Ex ipsis principiis adversariorum.
10. Probat ratione a priori.
11. Ad formandam conscientiam concurrunt iudicium directum & reflexum.
12. Ex conscientia formaliter & intrinsecè probabili non licet operari.
13. Opinionis tantum probabiliter probabilis usus non est licitus.
14. Nec sufficit quiscunque tenuis gradus probabilitatis.
15. Operans ex opinione probabili tantum habet formidinem ex parte iudicii remoti & speculativi.
16. Iudicio opinativo accedit nova ratio persuadens operationem esse licitam.

17. Probabilitas regulata per prudentiam est regula remota humane operationis.
18. Qui errat in sequela sententia probabilis, habet invincibilem ignorantiam.

#### §. I.

Fundamenta negantium probabilitatem sufficere ad prudentem assensum.

PRima utriusque & benignæ & rigorosæ sententia fundamenta dilquirenda suscipimus. Habent igitur sententiæ probabilis defensores, qui ad honestatem operationis certum conscientia iudicium requirunt, pro primo quasi principio & axioma, quod opinio practicè probabilis fundet prudentem assensum, ex quo deducunt, quod sequens opinionem probabilem prudenter & licite operetur. Negant rigidæ sententiæ patroni, & ceu petitionem principii rejiciunt, opposites [suâ opinione] è diametro contrariam regulam: Probabilitas [quippe conjuncta cum formidine erroris] non potest esse regula humane operationis: qui cum opinione probabili operatur, dubiè, incerte adeò, imprudenter operatur. Itaque hujus fundamenti veritatem discutimus in præsentia. Et quidem Anton. Merenda in tr. de Conscientia, usum probabilitatum univèrsaliter impug-